

In coda alla lezione di venerdì 4 aprile 2025
Bologna, Fondazione per le Scienze religiose, via San Vitale 114

SOLISTI DELLA CAPPELLA MUSICALE DI S. PETRONIO

Sonia Tedla CHEBREAB, *soprano* – Alberto ALLEGREZZA, *tenore*
Michele VANNELLI, *clavicembalo*

CLAUDIO MONTEVERDI (Cremona, 1567 – Venezia, 1643)

Salve Regina a voce sola, canto o tenore

da *Seconda raccolta de' sacri canti ... fatta da don Lorenzo Calvi*, Venezia, A. Vincenti, 1624

Salve Regina, mater misericordiæ,
vita, dulcedo et spes nostra, salve.
Ad te clamamus, exsules filii Evæ,
ad te suspiramus, gementes et flentes
in hac lacrimarum valle.

Eia ergo, advocata nostra,
illos tuos misericordes oculos ad nos converte.
Et Jesum, benedictum fructum ventris tui,
nobis post hoc exsiliium ostende.
O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

NATALE MONFERRATO (Venezia, 1610 – 1685)

Admiramini dilectionis prodigium – *de Sacramento*

da *Motetti a voce sola ... Libro primo. Opera quarta*, Venezia, A. Vincenti, 1655

Admiramini dilectionis prodigium,
attendite caritatis miraculum:
misericors et miserator Dominus
panem ponit, miscet merum, tradit
carnem,
fundit verum nobis eius sanguinem.
O pietatis mysterium,
o amoris inditium!

Angelorum escam
cuncti prompte porrigit,
ut manducet Dominum
pauper, servus et humilis.

Adversus omnes qui tribulant nos
paravit Deus mensam.

Sanat animi languores,
pellit morbos et livores
hæc cælestis epula;

tollit mortem,
membra fovet,
vitam alit,
vires auget,
panis iste cælitus.

Ad hoc ergo pergat prandium,
esuriens omnis anima bibat,
edat hoc convivium turba Christi
famelica.

In via ne deficias,
sume cibum,
adde pocula:
dant hæc gloriam,
dant delitias
per æterna sæcula.
Amen.

GIOVANNI BATTISTA QUAGLIA (Salò, 1625? – Brescia, 1700)

Cantate cælites, canto o tenore – *per un santo o santa*

da *Nuova raccolta di motetti sacri a voce sola ... dati in luce da Marino Silvani*, Bologna, G. Monti, 1670

Cantate, cælites,
plaudant organa,
et dignas celebrent tympana glorias
dum scandit sydera
et super æthera
triumphans properat
«sanctus Martinus».

Salve decor, salve lumen:
tu de cælis alma lux;
alma pater vere splendor,
tu sis nobis alma dux.

O beata anima virtutibus decorata,
debellasti sæculum:
nunc regnas et vincis gloriosa,
triumphas in cælis coronata.

Micate sydera
splendore iubilo,
et super æthera
fulgore rutilo
ornate tempora
sancti «Martini».

O flores hortuli,
o bella lilia,
decora servia,
o molles flosculi
ornate tempora
sancti «Martini».

Alleluia.

MAURIZIO CAZZATI (Luzzara, 1616 – Mantova, 1678)

Accedite fideles – *per il SS. Sacramento*

(Al signor Matteo Battaglia, bolognese, musico del serenissimo duca di Naiburgh)

da *Il quinto libro de motetti a voce sola*, op. 39, Bologna, M. Silvani, 1666

Accedite, fideles,
accedite, amantes animæ,
purgatis sensibus accedite,
et templum Domini venerantes adorate.
Ecce æterna Iesu caritas
et Salvatoris pietas,
quem omnem sensum superat,
cælestem mensam paravit
et divinissimum convivium.

Ad fructum salutiferum
vos mundi corde accedite,
accipite, comedite
hunc cibum suavissimum.

Hic vestra corda repleat
cælesti desiderio;
det spiritus dulcedinem
et vitam sine termino.

O vera pax et unitas perfecta:
in Christo manere,
et illam manentem in se habere.
O venerabile divini amoris sacramentum,
o sacrosanctum et admirabile mysterium!

Cælestis hæc mensa
nos gratia nutrit,
edentes extollit
ad bona superna.

Ad gaudia vitæ
venite lætantes,
et iubila voces
cantate laudantes.

Exsultate, laudate,
in æternum cantate
alleluia.

NATALE MONFERRATO

Jubilet orbis a 2, canto e tenore – *de Beata Maria Virgine*

da *Motetti concertati a due e tre voci*, Venezia, F. Magni detto Gardano, 1669

Jubilet orbis,
lætetur peccator,
exsultet mortalis:
quod abstulit Eva
restituit Maria.

Eva filios percussit,
Maria plagas sanavit.
Eva pertulit mortem,
Maria vitam donavit.
Eva fuit semen mœstitiæ,
Maria causa lætitiæ.

O fidelium felicitas,
o credentium iucunditas,
o errantium securitas!

Eia mortales,
quisque serviat Mariam,
quisque honoret Mariam,
quisque adoret Mariam,
quisque imploret Mariam.

O cæli gloria, Maria,
o mundi domina, Maria,
o decus virginum, Maria,
o salus hominum, Maria:
tu mentes suscita,
quia tu lux;
tu corda excita,
quia tu amor;
tu gressus ordina,
quia tu via, o Maria.

Jubilet orbis,
lætetur peccator,
exsultet mortalis:
quod abstulit Eva
restituit Maria.